

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4733

Auteur(s) : Honorius III [pape]

Bénéficiaire(s) : Cîteaux (ordre)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1219, 26 septembre

Lieu d'émission : Réaté

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Honorius III enjoint aux évêques et prélats de faire respecter les privilèges et indulgences accordés par le Saint-Siège aux religieux de l'ordre de Cîteaux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissay, 1862, n° LIII, p. 54-55.

Texte établi d'après a

Honorius, episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis aliis ecclesiarum prelatiis, ad quos littere iste pervenerunt, salutem et apostolicam benedictionem.

Benefaciens Dominus bonis et rectis corde dilectos filios fratres Cisterciensis ordinis in viam mandatorum ejus inoffense currentes, tanquam populum acceptabilem sibi numero et merito ampliavit, eis que de rore celi et terre pinguedine benedicens dilatavit locum tentorii ejusdem ordinis, et pelles tabernaculorum ejus extendit. Sed, quod dolentes referimus, in via hac qua ambulant superbi contra eos laqueos extendentes, immo velut torrentes iniquitatis irruentes in eos ipsos bonis suis, que soli Domino sunt dicata, non solum nequiter defraudare cum filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sint, verum etiam iniquitate potentes violenter spoliare nituntur; et, quod gravius est, nonnulli de hiis qui eos debuerant in ipsis visceribus carius amplexari et favorabilius confovere ipsos immanius persequentes privilegia que ipsis a sede apostolica suis exigentibus meritis sunt indulta gestiunt penitus enervare, dicendo illa fuisse omnino in generali concilio revocata; vel alias intellectum privilegiorum ipsorum ita maligna interpretatione ad libitum pervertendo, quod nisi eos iniqua loquencium obstruatur, cum predicti fratres privilegiorum suorum pene penitus fructu frustrentur, per quod illi non tam eisdem fratribus quam nobis injuriati probantur, dum contra sedis apostolice indulgencias, memoratos fratres temere perturbare presumunt, molientes contra nostre plenitudinem potestatis, dum indulta nostra irreverenter impugnant.

Nos igitur, qui predictos fratres speciali prerogativa dilectionis et gracie amplexamur, ut pote qui jugiter offerentes domino suorum vitulos laborum non solum nobis, sed etiam universali ecclesie piis intercessionibus incomparabiliter suffragantur, nolentes hujusmodi vexationibus eorum sabbati amaricari quietem quos potius tenemus omnimodis consolari, universitatem vestram monemus et hortamus attente, ac per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus supradictos fratres ob reverenciam divinam et nostram habentes in visceribus caritatis, eis privilegia et indulgencias apostolice sedis eisdem concessas inviolabiliter conservetis et faciatis ab aliis conservari. Salva moderatione concilii generalis, videlicet ut de alienis terris a tempore predicti concilii acquisitis,

et de cetero acquirendis exsolvant decimas ecclesiis quibus ratione prediorum antea solvebantur, nisi aliter cum eis duxerint componendum, alias quoque dictos fratres ab incurisibus malignorum taliter defendatis, quod defensores justicie ac pietatis probemini amatores. Deumque vobis propicium et nos reddatis exinde favorabiles et benignos. Datum Reatis, VI kalendas octobris, pontificatus nostri anno quarto.